







8  
13

J. X. Θ. Υ. Σ.

DISPUTATIO MEDICA

DE

INTESTINORUM VERMIBUS

Quam

Consensu AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

In Alma Albertina

Sub

PRÆSIDIO 1640/55

*Nobilisf. Excellentisf. & Experientisimi*

DN. DANIELIS BECKHERI,

Med Doct. & PP. Serenisf. Elect. Branden-  
burg. Consilarii & Archiatri.

Patroni ac Præceptoris pl. colendi

Publico Φιλιάτρων examini  
submittit

CHRISTIANUS Nischke/

Forstâ Lufatus

Autor

*Ad diem Septembris horis antemeridianis.*

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REVSNERI, SER. PRINCIPIS ELECT.  
BRAND. ET ACAD. TYPOG.





J. K. O. F. Z.  
DISPUTATIO MEDICA  
DE  
INTESTINORUM VERMIBUS

Quae  
Certa Annullissime Facillitate Medice

In Alma Academia

et

FRANCOFURTI

Dr. DANIELIS BUCHNERI

Medici et Phisici Publici

in Alma Academia

Frankfurti ad Viadrum

Publice Defensurae

liberata

THEATRO PUBLICO  
FRANCOFURTI AD VIADRUM





# D. O. M. A.

Προόμιον.

**Θ**αῦμα θαυμάτων non minus verè quàm ingeniosè sapien-  
tissimus Plato vocat hominem, non solùm ob auream Di-  
vinamq; particulam animam videlicet, quam accepit à supre-  
mo Conditore rationalem; nec ob artificiosissimam partium  
totius corporis structuram; sed & ob ἀναλογίαν quam habet  
cum μακροκόσμῳ mirabilem. Cuncta enim quæ in latissimo  
finu suo continet μακροκόσμος, homo tanquam in speculo seu  
tabellâ repræsentat; Hinc eleganter Divinus & incomparabilis  
humana sapientia ac veritatis Magister Aristoteles 8. Phys. c. 2.  
μικροκόσμον appellavit hominem: cui subsequente tempore  
Theophrastus eundem universi exemplar, & Plinius mundi epi-  
tomen vocantes subscripserunt. Ut autem corpora cœlestia,  
terrena & ex his multa millia alia prodeuntia in μακροκόσμῳ ad  
vivum expressa, in homine tamen velut penicillo adumbrata  
taceam: unusquisq; hominem μικροκόσμον arbitrabitur, qui  
modo varii generis animalia, quæ in eo, non secus ac in μακρο-  
κόσμῳ, generantur, diligenti, quo par est, studio contemplabitur.  
Formatur homo in homine, vel ipsius Regii Prophetæ testi-  
monio mirificè. Generantur circa ipsum diversa animalium  
genera ut pediculi, pulices, quamvis alii aliunde eos provenire,  
& generatos nutrimentum saltem in hominibus quærere ma-  
lint. Generantur in eo Dracunculi, quos germani *Mits-  
Esser* / *Mitsfras* scribunt, hos Paulus Aegineta l. 4. c. ult. in parti-  
bus musculosis, brachiis nimirum, cruribus, suris, interdum  
& lateribus gigni affirmat, & animalia lumbricis similia esse  
vult. Generantur tandem diversa, & ut plurimum admiratione  
dignissima vermium genera in diversis pluribusvè corporis



partibus, ut historia à Marcello Donato l. 4. de histor. Medic.  
mir. c. 26. Schenkio l. 3. observ. Medic. aliisq; collectæ tradunt:  
ut in capite, naribus, dentibus, pulmonibus, corde, ventriculo,  
renibus, vesicâ, utero, intestinis, vulneribus & ulceribus haud  
probè mundificatis, quod ipsum præter præclarissimorum ar-  
tis Procerum autoritatem ipsissima *avētia* non semel confir-  
mavit atq; adhuc dum confirmat. Nam cum paucis abhinc  
mensibus Nefarium quendam annum 20. agentem, tempera-  
mento cholericò & sanguineo laqueo strangulatum permissu  
superiorum cultro anatomico sedulâ manu tractarem, & ordo  
sectionis ad intestina usq; mē deduxisset, in expurgandis his  
occupatus, in conspectum veniebat vermis à fine ilei sursum  
totam ferè ejusdem internam substantiam circumvolvens. Ad-  
mirandus primo aspectu videbatur, majorem verò admiratio-  
nem merebatur, cum totalem substantiam, longitudinem, fi-  
guram, cucurbitinum processum ejusq; cavitatem, caput imò  
& caudam ipsam cautiore manu examinarem. Hujus substan-  
tia oleaginosa & cinericea coloris erat, longitudo ultra novem  
cubitos, latitudo minimum digitum transversum æquabat.  
Caput ejus verrucosum erat ore velut hiante præditum, ex quo  
corpus latum procedebat, & quo magis ad caudam accedebat,  
eo strictius & acutius, & vel acuacutissima acuminatus in fine  
evadebat. Corpus unum tantum erat, multasq; divisiones seu  
lineolas transversas albicantes, spatio satis angusto distantes,  
per totam ipsius longitudinem apparentes habens. Ductus  
ferè cucurbitinus videbatur, at tubulo aëre versus finem infla-  
to ad extremitates usq; caudæ sine ullo internodio mirè int u-  
mescebat, versus principium autem ore velut expirante & a-  
perto egrediebatur aër, continebatur in eo ipso humor humori  
atrabiliario haud absimilis. Ileum prope cœcum adeo erosum,  
ut levi tactu disrumperetur, impletum erat humore sanguineo.  
colorem boli armenæ præ se ferente, cujus in reliquis nec gut-  
tula







ticis placet, quod rependo sese torqueant & vertant. *Celsus* lumbricos quasi lubricos nominat, quo nomine etiam teretes quandoq; significantur, ob lubricitatem quam in externa superficie habent: Distinctionis gratia quidam lati vocabulum addunt. *Platerus tom. 3. c. 14. de animat excret.* Latos lumbricos rectius tænias intestinorum appellari vult, quia cum lumbricis nullam habeant similitudinem. Cujus sententiæ etiam fuisse videtur *Plin. l. 11. c. 33. histor. nat.* eodem tæniarum nomine lumbricos nominans. Ut ut autem quibusdam Medicæ artis Scriptoribus vox tinea arrideat, & tinea ventris lumbricos dicantur. *Marcellus tamen, Virgilius & alii, docente Senerto,* tænias audire malunt, quia tænia Græcis fascia est, cum & fasciam quandam referant membraneam intestinorum tenuium substantiæ similem, eorum longitudinem adæquantem, minimè tamen, uti illa cavam, sed digitum transversum latam. Alibi modo citatus *Plinius* interaneorum animalia, quod interanea seu intestina potissimum infestent, eosdem nominat. Ji ipsi autem *ἀνδεδες* in specie dicuntur, qui in ima sede generantur.

§. 2. Definimus Vermes intestinorum, animalia in intestinis corporis humani, ex crasso, lento, excrementitio & principio vitale sui generis sive semen continente humore, à calore vivido per putredinem suscitato p. n. genita, functiones intestinorum impediencia, atq; hinc multos morbos aliaq; gravia symptomata producentia.

§. 3. Cum affectus humano corpori p. n. infesti sint *Morbis, causa morbi, & Symptomata*: principio non immerito quæstio instituitur sub quonam affectu p. n. vermes contineantur. *Galenus* quidem *l. de differ. morbor. c. 8.* Vermes esse morbos in numero p. n. aucto statuit. *Fernel. l. 1. Path. d. morb. nat. c. 3. p. 346.* negat vermes esse morbos, ex hac ratione, quia non in ipsa partis substantia hærent, sed sunt in genere



genere contentorum, quæ sunt morborum causæ; Exinde & spirituum & humorum affectus, etiam si contra naturam sint morbos non dicit, quoniam in nulla parte consistunt, nec per se nec proximè, sed morbi interventu actionibus incommo-  
dant, id circo in morborum numerum referri non possunt. Vitium namq; id, quod est in contentis Morbi causa est, sicuti vitia ipsarum partium morbi dicuntur & functionum sympto-  
mata. Cùm ergo ob allatas à Fernelio rationes vermes ne-  
quaquam sint morbus, sed potius morbi causa, & nos in eo ac-  
quiescimus. Si namq; cum Galeno eosdem pro morbo Nu-  
meri haberemus eò quod in partibus hærentes abundant, non  
aberraremus, si cum Fernelio l. c. renum & vesicæ calculos,  
grandines pulmonum &c: morbos appellaremus; Accedit  
quod nullum discrimen inter morbum & causam morbi appa-  
reret, si omne lædens actiones morbum diceremus. Deniq; morbus vocatur dispositio, quæ est qualitas quædam aut acci-  
dens: quis autem vermes accidentia nominaret, cum sint sub-  
stantiæ. Igitur cum morbus solis partibus corporis viventis  
tribuatur & ita inhæreat, ut sine iis vim permanendi omnem  
amittat, Vermes non esse morbos, sed causas morborum &  
symptomatum concludimus.

§. 4. Miræ vermium varietates, species seu differentiæ,  
quæ in intestinorum cavitate formantur, aluntur atq; augen-  
tur, traduntur ab *Aristotele* 5. *histor. anim.* c. 19. à *Galeno* in plu-  
ribus locis, à *Paulo Ægineta* l. 4. c. 57, ab *Ætio* tetrabibl. 3. *serm.*  
1. c. 39, 40, & 41. & ab aliis. Frequentissimi tamen omnibus  
visi sunt illi, qui ab *Hippocr.* aph. 26. sect. 3. ἐλμινθες στρογγύλαι  
lumbrei teretes atq; rotundi, & à *Spigelio* à Germanis has dif-  
ferentias discernens *Spulwürme* vocantur. Postea occurrunt  
qui vermiculis in putri caseo genitis assimilantur, & ibidem  
ab Hippocrate ἀσκαρίδες à græco verbo ἀσκαρίζειν, quod idem  
cum σκαρίζειν, ἢ σκαίρειν hoc est saltare & palpitare, nominan-  
tur, im



tur, in sphinctere consistunt, & assiduè instar formicarum sese movent, pungunt, vehementem pruritem & assiduam ad de- jiciendum irritationem excitant, voracitatisq; autores sunt. Nec ignoti, quos Græci πλατῆϊας: latini latos & cucurbitinos, quod effigiem seminis cucurbitæ repræsentent, appellant. Nec differunt ab hoc vermium genere, quos *Galenus in Introduct. c. 13.* κηρίας καὶ γαινίαις nuncupat, quoniam vittis & fasciis mulierum, quibus capillum vinciunt similes existunt, adeo longi, ut eodem authore *comment. aph. 26. sect. 3.* per omnia quan- doq; intestina extendantur. Hoc vermium genus *Spigelius* ger- manicâ voce *Wasserfals* nominat, quo nomine alias mulier- culæ aqueum istum humorem molæ instar in utero generatum vesicæ quasi cuidam inclusum indigitant, & majorem conve- nientiam hanc significationem cum hoc, quam cum illo ha- bere videtur. *Sennert. l.c.*

§. 5. Quicquid autem de his tribus vermium generibus & imprimis de latis seu cucurbitinis, quos & toenias vocant ab Autoribus fertur, in omnibus cum nuper invento convenire nullatenus videtur. De longitudine quidem & latitudine nul- la effundam verba, quia longiores latioresq; curiosa experien- tia dicitur; nec de capite quatenus verrucosum, quale & Ama- tum Lusitanum & Tulpium virum consulari dignitate conspi- cuum *l. 2. Med. observ. c. 42.* quod ipsum & depingi curavit, ob- servasse, rerum Magistra docet: quatenus autem ore hiante & aërem quasi expirante, ut pluribus historia ipsa docet, certo modo apparebat, nullibi hujus generis mentio fit; aderant quoq; manifesta erosionis vestigia in intestino ileo, (in quem finem intestina adhuc dum asservantur,) quod manifestò con- tra hujus vermium generis naturam: hinc aliquantulum ab iisdem differre videtur. Latos enim lumbricos, quorum pas- sim mentio fit, nullas titillationes, rosiones seu punctiones, ob molliorem quam habeant substantiam in corpore efficere posse,



posse, lato lumbrico laborantes & hinc Regiomonti vivi testan-  
tur. Hinc Platerus & alii cum ipso, hunc vermem non vivere,  
firmiter concludunt, alii verò eum vixisse observarunt; Dein-  
de etiam ex motu argumentantur, qui obscurior & tardior te-  
retum statuitur, aliquem tamen esse, quidam affirmant, qui ex-  
perti sunt unâ ejus parte abruptâ, alteram in ventrem retractam  
fuisse, imo quandoq; in glomum quasi se totum convolvisse  
ubi medicamentorum vi ex ventre hominis totus propulsus  
fuit Teste Sennerto.

§. 6. Nostrum autem vermem maximos induxisse do-  
lores testatus est tùm temporis patiens ipse miseris suis ejula-  
tionibus, quas custodes aliiq; prætereuntes quandoq; audive-  
runt; testis quoq; est humor, qui in intestino continebatur,  
testes itidem sunt viæ, quas perrepsit, imo & situs in intestino  
ileo, qui erat prope cæcum cum capite, quod admodum ero-  
sum conspiciebatur, & levi tactu in partes dividebatur; Mo-  
tum præterea manifestum frequentes vomitus indicasse, nemo  
non mecum affirmabit.

§. 7. Notabilis insuper videtur ductus per mediam lon-  
gitudinem translatus, qui primo aspectu impervius, deinde  
verò, cum aër inflaretur, sine ullo internodio, idq; ad extre-  
mitates usq; caudæ acutissimæ extendebatur; aër autem, cum  
sursum inflaretur, cum ipso humore expirante quasi ore egre-  
diebatur. Ut ut multæ sint differentiæ ratione Proprietatum  
hujus vermis, quæ aliud veluti vermium genus indicare vi-  
dentur: prudentioribus tamen nos relinquimus judicium, &  
tam diu in latorum numerum generalem hunc recensemus,  
usq; donec aliud quoddam genus adæquatum quis denomi-  
naverit.

§. 8. Materiam vermium ex quâ seu proximam quod  
attinet, hanc secundum plerorumq; opinionem cùm veterum  
tùm Neotericorum humorem corruptum, lentum, crassum  
B & putri-



& putrilaginosum, semen tamen aut certè semini quoddam analogum habente, qui pro specificà dispositione seminali diversos producat vermes, esse dicimus. Remotam cruditates constituunt ex ingurgitationibus nimis & repletionibus ciborum phlegmaticorum facilè putrescentium, succumq; crassum & lentum gignentium. Talis verò generis cibos recenset *Avicenna l. 3. fen. 16. tract. 5. c. 1. Ætius tetrab. 3. serm. 1. c. 40.* suntq; præcipuè phaseoli, fabæ, farina, fercula frumentacea, oryza, pisces lacustres & squamis carentes, caseus, lac, legumina fructus horarii: dulces & æstivi, uti sunt mala dulcia, persica, armeniaca, cucumeres, pruna, cerasa Hispanica, pepones &c. Hisce addimus humidam, impuram & calidam aëris constitutionem, quæ humori alias ad putredinem disposito Symbolum suum adjicere prompta, quod vel inde manifestè satis ostenditur, quod æstivis mensibus, auraq; subtepida existente horti plerumq; erucis & carnes vermibus abundant.

§. 9. Ad verminosam autem hanc dispositionem ipsa, etiam naturæ concurrere videtur. Nam dum humor putrescit, & calor natus in exitu est, ne deserto proprio subjecto planè intereat, superveniente quadam vi plasticâ & vivificâ, quicquid benignioris materiæ adhuc superest, segregat, & ad novam generationem promovet, ac pro quantitate ac qualitate materiæ novum animal efformat. Hinc tres præcipuè illæ species *νεμειαι* nempe seu longi latiq; lumbrici, ascarides & rotundi, qui tamen etiam generationis loco discernuntur, quod lati & rotundi in crassioribus & tenuibus passim, ascarides verò in recto solum generentur, videatur *Liddel. l. 3. c. 11.* An autem ille humor, uti plurimi existimant, semper dulcis sit, controversatur valdè, cum teste *Ionstano* vermes etiam in absynthio & sale marino generentur.

§. 10. Hic autem non exulare posse vim specialem seminificam, quæ obsequium postea efficienti causæ præbeat: *Aristot. l. 3.*



Stot. l. 3. de gener. anim. c. 11. testantur his verbis: ἐν τῷ παιτι  
θερμότητα ψυχικὴν ὑπάρχειν: καὶ ὡς τρόπον τινα πάντα ψυχῆς εἶναι  
πλήρη: omnibus inest vitalis calor omniaq; vita quodammodo ple-  
na existunt: quapropter improbamus illos qui solum ex recre-  
mentis & superfluitatibus fædis quibuslibet hujusmodi anima-  
lia, absente ejusmodi dispositione ac partialiformâ statuunt.  
Nec minus absurdum nobis videtur, quod Paulus Ægineta l. 4.  
c. 57. & Ætius tetrab. 3. serm. 1. c. 40. de lato lumbrico sentiunt,  
qui eum non ex humoribus, sed potius ex membrana interiori  
superficie intestinorum adnata, idq; ex permutatione istius  
pelliculæ in corpus aliquod vivum degenerare volunt. Lum-  
bricus, ajunt, latus est permutatio membranae intus tenuia intestina  
succingentis in corpus quoddam animale. Rem haud quaquam  
sic se habere posse vel inde patet, quod insignes excitarentur  
cruciatus, si Pauli & Æty excogitata generatio vera esset, ob  
continui solutionem seu abrasionem membranae; moti for-  
sitan hi magni viri mucosa illa lentaq; pituita ita intestinis in-  
trinsecus adhærente, ut lata tinea veluti è tunicis enasci videatur,  
cum tamen industrius hîc inter substantiam ipsam & mucosum  
humorem & adhærentem distinguere debuissent: vel non  
videntur intellexisse per membranam illam adnatam pro-  
priam membranam seu tunicam intestinorum, quæ ad vermi-  
um generationem planè inepta est, & lethalia symptomata indu-  
ceret, sed humorem modo dictum oblinentem intestina mem-  
branae ritu. Rectius Actuarius sentire videtur, qui l. i. c. 12.  
latam tineam in intestinis gigni vult, cum lentus & leviter,  
calidus humor internæ intestinorum superficie illinitur, qui  
à calore, qui illum ipsum præparando certisq; modis dispo-  
nendo efficiat, ut sopita illius δύναμις excitetur, & in actum  
deducatur postea disponitur, uti §. superiori dictum.

§. II. Progrediamur nunc ad materiam in quâ seu lo-  
cum generationis; Hunc §. 9. docet. Præterea etiam in inte-



stinis præcipuè vermes vitæ primordia capere unanimi consensu *Aristoteles, Galenus, Actuarius, Paulus Aegineta, Aëtius & alii* quamplurimi fatentur. Quanquam nonnulli statuunt, eos etiam in ventriculo gigni, propterea quod observati aliquando ab Anatomicis inibi fuerint; Quibus tamen *Aristoteles* in fine *capitis 3. l. 4. Meteor.* his aperte contradicit; Το, inquit, ζῶον ἐκ ἐγγίνεθαι ἐν τῇ πέψει, ὡς πρὸς τὴν φασὶν: ἀλλ' ἐν τῇ ἀποκρίσει σηπομένη ἐν τῇ κάτω κοιλίᾳ: *Animal non in ipsa coctione generari, ut quidam ajunt: sed in excretionem, qua in alvo putrescit, inferiore.* Nullum igitur animal in genere ἐν τῇ πέψει quæ eodem Philosopho Autore ἐν τῇ ἄνω κοιλίᾳ in ventriculo perficitur, generatur, sed tantum ἐν τῇ κάτω κοιλίᾳ vel ut *lib. 3. de part. anim. c. 13.* idem loquitur: ἐν τῷ καλεσμένῳ ἐντέρω in intestino fieri consuevit; Quicquid sit, illi tamen sententiæ experientiam omnium rerum Magistram opponimus, quæ & vermes in ventriculo generari docuit, cum talis πέσις neq; intestinis tenuibus sit deneganda.

§. 12. Inter causas remotas alimentum quoq; idq; dulce, circa quod concoctrix versatur commodè referri potest; Dulcedinem communissimam esse causam, cur in fructibus dulci sapore præditis frequentissimè vermiculi generentur, in confesso est omnibus, quod tamen in contrariis, ut sunt amara, acida, acria & salsa non ita observari nonnulli statuunt. His præclarissimus *Jonstonus* aperte contradicit, cujus hæc de re opinionem §. 9. manifestavimus, qui vult, non rarò etiam amarum humorem vermium generationi materiam suppeditare, motus exinde, qui ex absynthio & sale marino vermes natos quotidiana experientia dicitur. Quamvis ex Praxi constet, quod injectis acris amarivè clysmatibus tam & suppositoriis vermes superiora petant, medicamentis autem hujus generis per os propinatis, inferiora, fugiendo nimirum ea, quæ naturæ suæ noxia atq; inimica: Dulcia contra, quæ sunt humida.



mida & putredini obnoxia ad eorum generationem sint aptissima. In dubium tamen tanti viri sententia minimè vocari potest: Etsi ut plurimum dulcia ad generationem sint acceptissima, fieri tamen potest & amarum & salinum (uti se habet humor biliosus & melancholicus) humorem quandoq; peculiari seu occulta vi in corpore humano ad generationem vermium esse præditum. Absolum quidem videtur dicere, ex istiusmodi materiâ quædam generari, quam alias ea ipsa fugiunt; ast certum est, solam experientiam omni rationi anteponendam esse. Hic quoq; occurrit monendum, quando dulcia ad generationem vermium aptissima esse dicimus, non ita generaliter intelligi id volumus, cum mel & saccharum putredini maximè resistent.

§. 13. Causam materialem excipit efficiens, de qua multum controvertitur, aliis calorem putredinosum, aliis nativum accusantibus, aliis utrumq; occurrere asserentibus, sed non à solo calore utpote accidente nobilius quid substantiam nempe generari posse statuendum; sed potius videtur in materia ex qua vermes generantur, delitescere semen aliquod seu quippiam semini analogum, vi plastica instructum, vivificamq; aliquam ἀπόρρυσιν & principem causam, quæ materiam ad hanc & non aliam vermis formam recipiendam dispositam, hæc ipsa forma induat. Quippe *Aristoteles 3. de gener. anim. c. 3.* etiam in excrementis principium & Divinum quid in esse scribit, uti supra monuimus. Ne autem quis miretur, quod facultas ista plastica per tempus delitescat! Ignobiliores enim formæ sæpè sub dominio superioris formæ diu latere possunt, nec semen illud, cum imperfectius sit, peculiarem radicem obtinet, sed animalis radici adhæret, donec à calore præternaturali, vermibus tamen & rebus gignendis naturali ἀρχῇ ζωτικῇ in actum producat & generatione se prodatur. Quamobrem licet calorem præter naturam non excludamus,



tamen eundem absente formatrice illa facultate substantiæ alicujus authorem esse in totum negamus, cum unus idemq; calor, si efficientis loco staret, minimè diversi generis animalcula produceret.

§. 14. Ut propius accedamus, restat nunc, ut ea, quæ cognitioni servantur, præmissis subscribamus. *Hipp. libr. de arte* scribit, *si sufficit Medicus ad cognoscendum, sufficiet etiam ad curandum*: cui calculum addit *Alexander Trallianus* l. 8. c. 9. his verbis: *qui benè dignoscit, bene medetur*. Non possum itaq; non, quin de signis & quidem diagnosticis primùm per pauca in medium proferam. Trium vermium mentio facta, placet quoq; de tribus & singulis in specie signa annectere. Omnium certè & imprimis teretum longorumq; vermium certissimum indicium est, si vel per os naresvè vel per anum egrediantur, huic respondent dolor & punctiones in abdomine, dentium stridor præter solitum, præsertim in somno, quod *Ætio* exinde fieri videtur, cum vermes cibum ad se trahant, at ventrem ac intestina mordeant; Accedit tussis sicca & assidua ab acris vaporibus diaphragma & alias partes vitales titillantibus, tremor labiorum, devorandi conatus & suffocationis metus, si superiora petunt, narium quoq; pruritus, quas infantes digitis immixtis sæpius scalpunt, singultus, nausea magna, cibiq; inappetentia; ob id, quia vitiosa materia abundant, vel quia vermes ventriculum sæpe laceffunt, interdum & insatiabilis appetitus, cum vermes alimentum omne ad se rapiant. Motus quoq; convulsivi & epileptici, partim cum ventriculi orificium superius pungunt, partim cum humores maligni & venenati sursum ad cerebrum vehuntur, sensus turbati, imprimis visus & auditus, sitis ratione febris comitantis aut absorptæ à vermibus humiditatis, aut calidorum acrimq; vaporum ab intestinis spirantium. Fluxus plus æquo ventris ob comestorum corruptionem, quam vermes ventriculum invaden-



invadentes vel per se vel suis halitibus perturbando concoctionem efficiunt, quam fluxionem *Fernelius libr. 6. Patbol. c. 10. de morb. intestin. p. 280.* lientericam autumat: interdum & suppressio ventris; nec desunt urinarum cruditatis signa, os saliva repletur, & foetor quidam peculiaris ad acidatem vergens ex ore quandoq; animadvertitur, & quæ sunt aliæ, quæ pro diversitate effectuum causarumvè peti possunt. Notandum tamen non in omnibus omnia relata signa, sed quædam in his, quædam in aliis apparere.

§. 15. Pleraq; latorum signa nostrum dicitur exemplum, cujus in proœmio mentio facta. Constat enim eos ipsos haud facilè jejunium ferre & nimia cibi appetentiâ laborare, eò quod animal intestinis inhærens ingestis cibis semper compescatur, quapropter & in nostro subjecto corpus gracile tandem plus solito redditum, dum maxima pars alimenti in vermibus nutrimentum conversa. Dolores insuper, qui alias in horum vermium affectu à plerisq; omnibus obscuri creduntur, eos in nostro subjecto sat magnos fuisse, non dicam intolerabiles, præter custodum testimonia miseræ tum temporis patientis ejulationes manifestè satis ostendunt, quod, etsi hoc verme laborantes non facilè epilepsiâ, vigiliis aliisq; symptomatibus vexentur, non rarò tamen de hujus mentis constantia res dubia exoriebatur. Certissimum aliàs minimeq; fallax signum est, quod cum alvi excrementis corpuseula quædam cucurbitæ seminibus similia excernuntur; Plura qui de vermium latorum signis scire desiderat, adeat *Hippocr. l. 4. de morb. Aristot. 5. histor. anim. c. 19. Galen. 1. de loc. affect. c. 5. Actuar. l. 1. meth. c. 21. & alios.*

§. 16. Ascaridum signa Thesis 4. sufficienter exhibet, eaq; hic repetere de necessitate non judicamus.

§. 17. Signa prognostica quod spectat: vermium præsentiam in intestinis nil boni promittere, si modo varia exinde proma-



promanantia symptomata in memoriam vocamus, precedentia satis clarè docent. Neq; minoris ponderis est, si quoq; eosdem in hocce negotio tanquam res toto genere p. n. consideramus. Operæ tamen pretium erit, illos pro diversitate specierum examinare. Minus igitur noxias Avicenna ascarides censet, ob longam satis loci distantiam à membris nobilioribus facilioremq; expulsionem, tum etiam ob exiguitatem. Deteriores verò proclamantur lumbrici longi & teretes, graviora certè ascaridibus inferunt symptomata, tum ob majorem longitudinem, tum ob situm in nobilioribus intestinis, quapropter & omnem ferè hominis alimoniam ad serapere possunt. *Levinus Lemnius l. 1. c. 22. de occult. nat. mirac.* ejus auctoritatem *Sennertus cap. de lumbric.* commendat, hujus est sententiæ: *periculo vacare in sanis, etsi alioquin lumbrici teretes sursum per os vel nares egrediantur: minus autem egrotantibus, quia tanta in egrotantium corporis humorum putredo atq; malignitas, ut exitialem eorum vim perferre nequeant.* Bonum tamen esse vult *Hippocr. lib. prænot.* lumbricos teretes exire ad crisin eunte morbo; & si declinante cum reliquis excrementis propelluntur, salutare, idem sentit. Læsionem intestinorum indicant, qui sanguine conspersi dejiciuntur. Latos teretibus pejores esse *Celsus l. 4. c. 17.* affirmare videtur, & omnium pessimi à Sennerto salutantur, eò quod difficilius curentur, & medicamenta pleraq; fugiant, nec leviores eos reddat eorundem nimis satis longitudo, ob quam omnia seu pleraq; intestina occupant, nec non ad generationem sui copiosiore pravioresq; materia opus habent. Præterea si isti, qui eo sint infesti, aliquid contrarium usurpent, vel in istis corporibus humor aliquis ipsis contrarius generetur non tantum multa mala, sed & mortem ipsam inferre possunt

§. 18. Antequam curationem aggredimur, indicationibus opus habemus: in his omninò totius medendi methodi  
basis



basis & fundamentum latet: *Omne namq; quod indicat, vel sui conservationem vel ablationem indicat: quod secundum naturam est conservandum, quod præter naturam tollendum.* Vermes sanè toto genere res p. n. esse in corpore humano aliquoties in præcedentibus thesibus jam dictum; hinc vi hujus axiomatis eorum remotionem indicant, & materia quæ generationi vermium dicata, si nondum generata, præcavenda; si genita, è corpore deturbanda; quia danda opera, ut vermes interficiantur; deinde educantur, nisi à naturâ cum fecibus alvi expellantur: Medicamenta cautâ manu exhibenda & ad materiam vermium dirigenda, non negligendo symptomata supervenientia, & curationem peculiarem postulantia.

§. 19. Reperitur autem apud Practicos ingens Medicamentorum vermes interficientium farrago. Nos igitur primum ex simplicium albo sequentia commendamus, quæ partim calida, partim frigida sunt. Simplicia calida sunt, quorum quædam amara, quædam acria, quædam salsa sunt, quædam etiam occultâ qualitate vermibus sunt adversa.

§. 20. Radices sunt Aristolochiæ, Gentianæ, filicis, Distamni, Cardui benedicti, Helenii, vincetoxici, Zedoariæ, Petasitis, Rhabarbari, Iridis, Allium, Ceba, Porrum, Raphanus esculentus & marinus, qui rusticanus, Cortices Rad. mori, Rad. cava minor.

§. 21. Herbæ: Absinthium, Scordium, Carduus benedictus, Marrubium, Mentha, Calamintha, Menthastrum, Ruta, Nepeta, Pulegium, Matricaria, Nicotiana, fol. persic. fol. Nuc. jugland. Hyssopus, abrotanum.

§. 22. Flores: Centaurii minoris, Hyperici, Mali Persicæ, Pruneolorum Sylvestrium, Tanaceti, Chamæmeli, Eupatorii Mes. Lilior. Convall. Crocus.

§. 23. Semina: Santonici, Tanaceti, Nasturtii, Napi, Brassicæ, Sophiæ Cheirurgorum, Coriandri præp: mali citrii, Eruca, Cannabis, Limonum, Aurantiorum, Plantaginis.

§. 24. Cor.



- §. 24. Cortices: Aurantior. Citrior. Limonum.
- §. 25. Nuclei: Persici, Lupini, Amygd. amar. Sebesten.
- §. 26. Aloë Succotrina, Myrrha.
- §. 27. Frigida simplicia sunt; Radices: Graminis, Tormentillæ, Bistortæ, Cichorii.
- §. 28. Herbæ: Portulaca, Endivia, Cichorium, acetosa.
- §. 29. Ex animalibus: Rasura eboris; C. C. ustum & præparatum.
- §. 30. Ex mineralibus Corallina, quæ omnium censetur efficacissima & dulcis,  $\odot$ ,  $\triangle$ , terra lemnia, sigillata,  $\ominus$ .
- §. 31. Artificialia quæ jam in officinis prostant sunt: Aquæ: Gentianæ, Aristolochiæ, Carduibenedicti, Petasitis, Scordii, Raphani Marini & Esculenti, Absinthii, Rutæ, Liliorum Convallium, Centaurii minoris, Tanaceti, Abrotoni, Marrubii, Pulegii, Menthæ, Urticæ, Matricariæ, Valerianæ, Verbenæ, Succisæ. Aquæ item Portulacæ, Graminis, Cichorii, Endiviæ, Acetosæ, Rosarum, Tormentillæ, Centunodiæ, Plantaginis, aq. è succo limonum, Nucum immaturarum.
- §. 32. Syrupi: Carduibenedicti, Nicotianæ, Absinthii, Marrubi, Menthæ, Scordii simplic: & compos. Augustanorum, è succo Hyperici, Syr. diapersicorum. Syrupi item Portulacæ, Limonum, Berberum, Ribium, Citriorum, Aurantiorum, Granatorum acidorum.
- §. 33. Elixir. Proprietatis, Spiritus Vitrioli, Spir.  $\triangle$ ,  $\ominus$ , Essent. Absinth. acetum scylliticum.
- §. 34. Conservæ: Florum persicorum, Scordii, Absinthii, Carduibenedicti, Flor: Acaciæ, Centaurii minoris, Liliorum Convallium.
- §. 35. *Theriaca Andromachi*, *Diascordium Fracastorii*, *Mithridatium Damocratis*.
- §. 36. Confectio seminis Santonici, Coriandri præparati.
- §. 37. Progrediendum nunc ad externa, quæ umbilico & imo ventri applicantur.
- §. 38. Oleum Colocynth. umbilico inunctum, Rutæ, Philosophorum, Absinthii, Amygd. Amar. Laurinum, Irinum. Hisce oleis addi possunt Aloë, Myrrha, Fel bovinum.
- §. 39. Un-



§. 39. Ungentum ad vermes Augustanorum, de cyclamine majus Mes.

§. 40. Ex Cathartorum classe, cum vermes jam sunt extincti, nisi natura eos spontè expellat, peculiariter præscribuntur: Rhabarbarum, Agaricum, Aloë, sena Alexandrina, Scammonia, Colocynthis.

§. 41. Ex Compositis sunt: Syrupi: è floribus persicorum, ex Rhabarb. de Cichor. cum Rhab. de agarico, diasereos Andernaci.

§. 42. Tabulæ diaturb. cum Rhabarbaro.

§. 43. Electuarium è succo rosarum, Hiera picra Galeni, diasebesten, Hiera Diacolocynthidos.

§. 44. Extractum Rhabarb. simpl. & comp. Aloës, Agarici.

§. 45. Trochisci alhand.

§. 46. Pilulæ de hiera simpl. Rufi, sive pestilentiales de Colocynthide, de Aloë lota & illota, pil. de hiera cum agarico.

§. 47. Plura composita contra vermes ex præmissis simplicibus parata descripta sunt in dispensatoriis Fuchsy, Weckeri, Foësy, Augustanorum aliorumq; , quæ omnia hic recensere nos brevitatis studiosi operæ pretium non existimamus, nec adeo solliciti de formulis, quia pleni sunt Practicorum libri, & qui mediocriter saltem in doctrina de compositione medicamentorum versatus, eas ex præmissis & aliis quæ passim leguntur, concinnabit. Isthoc tamen notandum, quod semper ad ætatem, vires, temperamentum, aliasq; circumstantias, num febris videlicet concomitans vel aliud quoddam grave symptoma adsit, nec ne respiciendum.

§. 48. Præter Cathartica etiam in expurgandis his animalculis Clysmata & suppositoria multum efficere possunt, ut ut nonnulli eorundem usum in vermium affectu interdican, exinde moti, quod vermes in gracilioribus ut plurimum intestinis hæreant & ob valvulam coli, principio affixam eo usq; penetrare non possint. Responsum habeant illi, non esse de necessitate, Clysmata totali substantia, uti in statu præternaturali non raro accidit, testibus Galeno, Bartholino & aliis, super valvulam penetrare; sed sufficere vapores, quorum ascensu valvula obstare minimè potest. Præterea etiam putant non sufficere ea ad interimendum, quia vermes cuncta ipsis molesta cane pejus & angve fugiunt, hincq; non interimunt, sed ad superiora nimirum in ventriculum compellunt. Ad hoc respondemus, distinguendum esse inter clysteres seu glandes convenientes & minus convenientes. Feliciori cum successu exeunt hæc animalcula, si clyster è lacte cum Saccharo applicetur, &



tur, & per os amara seu alia specifica & vermibus resistentia propinentur; minus autem si contra se habeant, & tali vi prædicta, quæ vermes ad superiora loca, gravi cum patientis incommodo refugere efficiant. Hinc omnia clysmata & suppositoria ex dulcibus parata e. l. hæc ex melle & penidiis: illa ex lacte, hydromelite, decocto hordei, ficuum glycirrhizæ, prunorum dulcium, addito Saccharo, si modo præscripta methodo, adhibeantur, commendamus, vel vermes intestinis inhæreant, vel affligant ventriculum; Præter ascaridum curationem, quæ acribus, amaris, aliisque; qualitatibus vermibus inimicis præditis suppositoriis vel clysmatibus potissimum absolvitur, his autem hoc modo expurgatis adstringentia requiruntur, quæ non saltem ascarides ipsas & materiam ad earundem generationem aptam excludunt, sed intestina iis corroborantur. Hæc autem formari possunt ex rad. bistortæ, tormentillæ, Herb. bursæ pastoris, balaustr. plantaginis, Ros: rubr. polygoni, nuc. cupress. bacc. myrti, in vino rubro stiptico coctis, &c.

§. 49. Curationi subscribimus victus rationem, quæ etiam legitimo modo instituenda: non enim sufficit vermes tolli, sed cibus istiusmodi vescamur, qui ad vermium generationem non faciant, sed iis ipsis omnino resistent; Cibus itaque lumbricis laborantium sit boni succi & concoctu facilis, qui facile distribuatur atque ad membra transeat, nec causam foveat: Isque condiendus sale interdum etiam succo aurantium, citriorum, granatorum, nec non inter condimenta sinapis illius consuetæ confectione utendum; Cavendum tamen à nimio ciborum usu seu voracitate, quam ut plurimum pueri amant, ne uno nondum cocto alter ingeratur cibus, hacque ratione hi præ omnibus aliis huic affectui sunt obnoxii; Vitentur insuper dulcia, pingvia & viscida, imprimis lac & omnia piscium genera, itemque fructus horarii & ficus. In potu detur, quod tamen raro commodum vinum tenue sive absynthites, vel aqua graminis & acetosæ dilutum. Pueris verò admodum utile est decoctum sebesten vel C. C. quod etiam præparatum, potui admisceri potest; allium, nisi quis istius usum abhorreat, vehementer generationem vermium impedit, itemque herbæ amaræ & acres, quæ vel in jusculis vel medicamentis propinari possunt.

Tantum.

DEO SOLI SIT LAUS ET GRATIARUM  
ACTIO PER OMNIA SECULA.





Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3  
004 398 270




f  
Sb.

VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Σ  
MEDICA  
M VERMIBUS

13  
8

ULTATIS MEDICÆ  
ertina

IO 1640/55  
*Experientissimi*

ECKHERI,  
f. Elect. Branden-  
Archiatri.

is pl. colendi  
examini

S Nitschke/  
tus

oris antemeridianis.

NTI,  
SER. PRINCIPIS ELECT.  
TYPOG.